



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit


V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tractatus De Gratia Delectante Et
Vincente

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732


VD18 90066359

urn:nbn:de:hbz:466:1-45367



Th. 2573.

J. VII
26.



V. P.

GASPARIS
DRUZHICKI,

SOCIETATIS JESU,

TRACTATUS

DE

GRATIA DELECTANTE

ET

VINCENTE.

V.P. Druzb. Op. III.

A

INDEX

112
xi
: usce
: l
V



INDEX CAPITUM HUIUS TRACTATUS,

CAPUT I.

Ad omne genus operationis requiri aliquam, & intercurrere delectationem.

CAPUT II.

Esse in supernaturali vita Gratiam, quæ delectat.

CAPUT III.

Quid sit Gratia delectans, & qui ejus effectus.

CAPUT IV.

Delectationem Gratia intus non foris esse attendendam.

CAPUT V.

Sensus Augustini de hac Gratia proponuntur.

CAPUT VI.

Quos in usus Gratia delectatio injuncta sit.

CAPUT VII.

Gratia delectans datur ut Spiritus tristitiam extinguat.

CAPUT VIII.

Quâ ratione fiat ut Gratia Divina delectationis in animo, ablegatis tristitiis experiamur?

CAPUT IX.

Quibus præterea viis delectatione Gratia potiamur & fruamur?

CAPUT

CAPUT X.

Quibus in rebus sit delectatio Gratia?

CAPUT XI.

Quenam sint species hujus Sanctæ delectationis.

CAPUT XII.

Cause scriptiois hujus: de gratiâ delectante.

CAPUT I.

Ad omne Operationis genus, requiri aliquam
& intercurrere delectationem.

QUOD in naturâ fieri videmus, ut in
omni penè operatione naturali (præ-
sertim vitali) admista sit quædam De-
lectatio, quâ singula Agentia, & ad
Agendum provocantur, & inter agendum ro-
borantur, & ad finem actionibus debitum im-
ponendum stimulantur: hoc ipsum in supernatu-
rali ordine fieri partim ratione docemur, partim
experientia convincimur, partim autoritate
doctrinaque Sapientium cognoscimus. Et facit
hoc (sicut omnia) sapientissimè Deus parens au-
torque tam naturalis quàm supernaturalis ordinis
quamvis enim ille Omnipotentissimâ suâ Virtu-
te & Efficacitate posset Creaturam omnem in
omnes actionum labores & conatus necessitan-
do impellere: id tamen minimè facit, sed arbitra-
tur ad Sapientiæ suæ eminentiam pertinere, si
Creaturas suas ad actionum sibi proportionata-
rum studia atque exercitia, ducat potius quàm
trahat, alliciat magis, quàm cogat, comitetur
spontè propendentes potius, quàm impellat
ignaras, nihilque minus quam operationem ap-
peten-

112
xi
: usque
: I
V

petentes. Ea propterea indidit creaturis suis & cognoscendi lumen & appetendi vim: ut cognoscendo irriteretur in eis appetitus, appetendo autem ut tendant, tendendo ut agant, agendo ut Voluntati Creatoris sui subserviant, subserviendo, finem suum, cuius capaces & ad quem ab Autore suo ordinatae sunt, consequantur.

Et quia videbat appeti nihil posse nisi bonum Bonum verò esse, aliud honestum, jucundum aliud: utile aliud: ideò providentissime appetitui objecit res omnes, aliquâ saltem bonitate non vacuas, sed conditas: adjunxit autem appetitui cognitionem, ut per eam ad bonitatis scientiam perfectionem consecutionemque duceretur. Inde videmus nihil incognitum à quoquam appeti, nihil desiderari ignoratum, neminem in bono quantumvis praesenti dummodò ignotum sit delectari. Siquidem ignoti nulla cupido, nullus appetitus, nullus fructus. Sed in omnibus necessario praecedit cognitio, sequitur appetitum actio, tandem finis, seu boni consecutio.

2.

Sed tamen Prudens Molitor omnium non arbitrabatur satis prospectum à se agentibus creatis, Cognitionem illis Appetitionemque inferendo, verum super hæc existimavit necessarium delectationem etiam Voluptatemque inspergere, quâ non minus suaviter Agentia ad operationes suas provocarentur, in iisque vel perseveranter continuandis, vel oportunè repetendis continuerentur. Inde videas animalia ad quærendum suum mendumque cibum non tantum necessitate ad virium reficiendarum, sed etiam suavitate alere recreandi, demulcendi palatum. Videas oculos non tantum necessitate ad aspiciendum lumen

oculo

coloremque compelli, sed etiam delectamento pulchræ lucis, elegantisque coloris, nec non latentis Symmetriæ provocari. Videas aures non ad voces tantum, sonosque converti, sed & harmoniæ consonantiæque intendere, eaque oblectari. Par de reliquis iudicium.

Atque ex hoc sine dubio fonte, censent Sapientes, triplici potissimum impulsu duci nos ad expediendas nostras actiones; Illuminatione nimirum intellectûs; Excitatione motuque voluntatis; & Oblectatione cupiditatis idem veritate, necessitate, bonitate, suavitate; Quas tres machinas, qui optimè commodissimèque ad excitandum in alicujus animo actionis desiderium adhibuerit is, etiam sufficientissime officio suo functus esse censetur: quippe qui nihil omiserit eorum quibus animus ad agendum operandumque induci natus est.

C A P U T II.

Esse in supernaturali vitâ Gratiam que delectat.

Quoniam autem Deus hominem in duplici ordine constitutum esse voluit duplicemque illi Vitam, Naturalem nempe supernaturalemque indidit, nec non illi necessitatem utriusque vitæ operationibus defungendi imposuit, idcirco in utriusque hujus Vitæ actionibus, auxilia necessaria motivaque convenientia providit & assignavit. Et Naturalis quidem Vitæ functionibus, plurima eum instituisse adminicula in confesso esse: Ad supernaturalem verò vitam exercendam unum duntaxat, principale univer-

A 3

fale-

112
xi
: usque
: I
V

3

4

faleque instituit adjumentum, quod vulgato
tatoque nomine Gratiam nuncupamus. Eius
gratiæ pretium, dignitatem, necessitatem nem-
unquam pro dignitate satis aut explicavit aut ex-
plicabit, sed neque vim efficaciamque ipsius
quisquam Mortalium digne affecutus est. No-
tissimos tamen habet tres quos in hominum men-
tibus producit effectus, videlicet Illuminationem
Intellectus, Excitationem, Inflammationemque
sive permotionem Voluntatis. & denique dele-
ctationem roborantem, vel roborationem dele-
ctante Mentis. Una eademque Gratia est qua
hos triplices habet effectus & parturit fructus
esto diversas sortiatur appellationes. Nam qua
illuminat, lux & lumen vocatur: quia inflam-
mat, calor, fervor, ignis, dicitur: quia delectat
atque roborat, Unctio, suavitas, auxilium dicitur
solet.

f.

Secundum omnes istos effectus Gratiam de-
vinam scrutari & commendare propositum præ-
sens non finit, siquidem Gratiam in quantum
Delectans est considerare deliberatum mihi est.
Gratia Auxilium est, & quia gratis datur, gratia
dicitur, cum quod Auxilium sit, tripliciter auxi-
liatur iis quibus datur; illuminando, permoven-
do, delectando ex his omnibus modis victores
fortesque eos quibus datur & à quibus dignè u-
surpatur: Sed ego uti prædixi illuminantem, &
permoventem Gratiam nunc non prosequar so-
lam delectantem indagabo, quid sit, in quo con-
sistat, quæ necessitas ejus aliaque ejus generis, sci-
tu non digna solum, sed etiam apprimè neces-
saria.

Adjuva nos Domine Deus noster Gratiâ tuâ
Sanctâ

Sanctâ: illumina nos, inflamma nos, oblecta nos
 ut Gratia tuae gratias referamus omnes, & sem-
 per dignas, in sæculum. qui quidquid sumus ex
 Gratiâ tuâ sumus, ex nobis autem pauperes ni-
 mis sumus: proinde nobis quidem sola debetur
 confusio faciei, tibi autem Gloria in sæcula.

CAPUT III.

*Quid sit Gratia Delectans: Et qui ejus
 effectus?*

Dixit nonnemo antiquorum sapientum.
Trahit sua quemque Voluptas. non enim
 animus noster sola (ut ait Aug.) trahitur Veritate:
 sed trahitur etiam Voluptate, non ad malum tan-
 tum, non etiam ad bonum tantum: sed tam ad
 malum quàm ad bonum: est enim in bono &
 in malo Voluptas sua, animo vix quidquam ma-
 gis quàm Voluptatem appetenti, & utrobique
 animus ita delectatur ut etiam vincatur: nisi
 quod quia in bono vincitur, vera sit germanaque
 victoria, quia in malo, strages sit potius clades-
 que nuncupanda. ideoque etiam delectatio in
 bono, Gratia est, in malo autem miseriae &
 calamitatis. Quamobrem hic delectationem
 ita Gratia attribuo Vincentem, ut de eâ solâ lo-
 quar, quæ de bono & ad bonum solum este; nam
 delectatio quæ ad malum este Morbus cum sit,
 delectationis veræ nomen habere non potest:
 quem enim morbus unquam delectat, nisi infan-
 num & infelicem? Est itaque Gratia Delectans
 & Vincens: aliud nihil quam suavitas divinitus
 menti infusa, quâ mens hominis (sive Voluntas)

A 4

in bo-

112
 xi
 : usque
 : I
 V

in bonum supernaturale pertrahitur in eoque continetur.

Non sum ignarus Gratiam & Intellectui adfundere doctrinae lumen, & voluntati impetum appetendi imprimere: sed his in praesenti à nostra consideratione (ut supra dixi) exclusis, solam in eâ suavitatem expendo, non quod hæc solâ inest, sed quod solam investigare propositum sit. Cujus propositi rationem in fine tractatus hujus afferam, cum primum scilicet Consideratione hanc animum meum satis pascam.

7.

Est ergo Gratia, suave auxilium Dei, quod Deus dum illuminat mentem, dum incitat Voluntatem, suavissime etiam lactat eandem, amoreque boni in bono eam continet. Sine hac suavitate divinâ, nemo è luculentis scelerata vitæ oblectationibus palatum extraxit. sine hac suavitate nemo amaros poenitentiae fructus vel primis labris degustavit. sine hac suaviter nemo, propriae sensualitati, nemo privato amori, nemo sibi ipsi bellum indixit: Sine hac suavitate nemo arctum cæli iter &c. ingressus, nemo Christi Jesu crucem complexus. nemo cælis facere violentiam ausus est. Hac suavitate voluptateque de cœlestibus illis Voluptatum torrentibus tantisper degustata homines Dei operati sunt Justitiam, execrati malitiam, deposuerunt dolium, induerunt simplicitatem, omnibus thesauris Ægypti Christum pauperem, contemptum, crucifixum præposuerunt, facti sunt sibi hostes, JESUS Socii, concives Angelorum, Dæmonibus terribiles, obliti naturæ, obliti consuetudinis malæ, obliti fragilitatis, spe firmati, charitate fortes, fide & tentatione probati, abnegarunt semet-
iplos

iplos levaverunt se super se, ascenderunt usque ad scientiam supereminentem Sanctorum. Ea propter. Suavitas ista, Delectatio ista, simul est robur, simul est auxilium, simul est Victoria. sic enim delectat (imò ideo delectat) ut simul roboret, adjuvet, vincat. Hac credo suavitate delinitus delibutusque David canebat: *Dulcis Et rectus Dominus.* hanc quoque ab aliis degustari optans hortabatur omnes dicens. *Gustate Et vide. te quoniam suavis est Dominus.* Hac suavitate jugum suum inunctum esse Christus Dominus intelligens invitatur omnes, ad sese dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis Et onerati estis, Et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, Et onus meum leve.*

C A P U T I V.

Delectationem Gratia intus non foris esse attendendum.

S. Gregorius hoc interesse asserit inter bona temporalia & spiritualia, quod temporalia, dum absunt appetuntur, dum ad sunt fastidiuntur. Spiritualia è contra, dum absunt fastidiuntur, dum ad sunt tantò etiam magis appetuntur. Tradidi alibi hujus discriminis causam, hoc loco totam in voluptatem conjicio. Utraque bona, voluptatem habent, sed priora (Temporalia) habent insuperficie, non in interiori substantiâ: Spiritualia certam habent delectationem, non in superficie externâ, sed in substantiâ internâ. Inde fit quod illa quidem quam diu non gustantur placent, gustata displicent: quippe delectatione

8.

112
xi
: usque
: I
V

tionem foris representatam intus carent, hæc verò
 eminens inspecta horrorem incutiunt, cominus
 degustata satiari delectatione sui non sciunt;
 semper enim vera bona, plus habent in recessu
 quam in conspectu, vana verò totum habent in
 conspectu, nihil in recessu, atque idè etiam va-
 na sunt. non alia enim est, natura essentiaque
 vanitatis: quam apparere, & hac apparentia in-
 cautos decipere.

9. Quamobrem in usu tractationeque bono-
 rum utrorumque tradunt sapientes, optimum
 consilium esse amborum substantiam non emi-
 nus à longè contemplari, sed è propinquo at-
 que penitus conspicerè, & quantum fas est ex-
 periendo illorum naturam pernoscere: sic enim
 fiet, ut animus, qui Veritate ducitur vel invitus,
 verum experiendo affectus, sano iudicio se-
 tandem gubernans, sciat reprobare malum, &
 eligere bonum, sciat falsam à verâ, vanam à soli-
 dâ se gregare, suavitatem. Cujus rei ignaros
 homines alicubi taxans, scientibus autem lo-
 quens S. Bernardus, pulchrè ad propositum
 Cruces illas quibus Ecclesia parietes signari, &
 ab Episcopis, inter &c. consecrandum inungi
 oleo solent. Christianæ spiritualique ac Reli-
 giosæ vitæ accommodat austeritati, ut enim in
 Ecclesiis prædictæ Cruces apparent, unctio verò
 latet, ita in Christiana disciplinâ supernaturali-
 que vitâ, horror quidem & labor mortificatio-
 nis foris sese ostendit, suavis autem & volu-
 ptas, tum cælo affusæ Gratiæ tum serenatæ per
 honestatem rectè factorum Conscientiæ, intus
 in animo clausa delitescit. Quod dum rudes &
 terreni animalesque homines non attendunt,

nihil

nihil esse miserius ac molestius sanctâ supernaturaliq̃ue vitâ existimant, agrestisque omnino & inhumani hominis esse putant, eum vitæ rigorem, vel probare, vel inire, vel tenere. In quo quidem isti non ideò falluntur quòd barbarum putant, sine Voluptate vitam vivere posse & conari, sed in hoc errant quam maximè, quod eos qui Spiritualem vitam vivunt, Voluptate destitutam vitam degere sibi persuadeant. In hoc isti plus quam vehementer errant. Nam dum hoc opinantur & Deum barbarum faciunt crudumque, qui servis suis nihil indulgere sciat Voluptatis; & præterea eundem faciunt miserum, qui cum Corporeus non sit, consequenter nihil Corporearum Voluptatum etiam ipse experiatur, nullas autem isti præterquam istas fœtulentas suavitates esse opinantur, ex quo Deum omni suavitate destitutum esse oportet, & insuper omne suavitatis genus ad solam adstringunt materiam, soloque sensu metiuntur voluptatem, quasi non habeat etiam sua bona, suaque commoda & oblectamenta Spiritus, & tanto quidem Corporalibus præstantiora, quanto ipsemet istis materialibus est sublimior & excellentior. Et denique male de naturâ fragili opinantur, quia illam sine omni delectamento, hac in vitâ conservari posse existimant; quod usque adeò falsum est, ut falsissimum nihil sit. Hoc enim ipsum est in vitâ Spirituali maximum delectabile, quod nullâ carnali inquietetur vel inquinetur delectatione, siquidem hæc tantum abest ut delectatio sit, ut potius sit veræ delectationis hostis. Proinde recte dixit S. Cyprianus. lib. de bono pudicit: (*Voluptatem vicisse, voluptas est maxima*) planè ut mel-
litum

112
xi
: usque
: I
V

litum toxicum evomuisse, dulcedo est summa.

10. Fallunturque isti vehementer & utinam fallantur tantum, & non etiam in perniciem extremam suâ deceptione devolvantur. sed nunc hæc nihil attinent ad nos. Certum nobis indubitatumque esse debet, esse & in Spirituali vitâ suam suavitatem, sine quâ hæc vita non vivitur, à quibuscumque vivitur; de quâ tantò plus hauritur, quantò ampliùs à sensuali omni delectatione receditur. Hæc suavitas Gratia est, quâ omne bonum suum Deus respersit, ut ab hominibus eligatur, electum exerceatur & teneatur. Sine hac suavitate, Vitæ nostræ Spiritualis, ita sunt frugiferi conatus. omnes, ut est frugifer ager rore nullo, imbre nullo mollitus. ita sunt suaves labores, ut suaves sunt cibi sine condimentis, aut pugnae sine præmiis, aut soni sine consonantiis.

CAPUT V.

Sensus Augustini de hac gratiâ proponuntur.

11. **L**ibenter Augustinum de hac quam expendo Gratiâ allegabo, non ideò solùm quia Sanctus ille, adeò dignè de Gratiâ divinâ sensit & scripsit, ut quidquid scripserit, id totum ab Ecclesia Catholicâ tanquam certum & divinæ veritati, consonum, receptum comprobatumque sit; sed ideò etiam quia solus ille est, qui de Gratiâ delectante atque vincente luculenter & peracutè tractavit, viamque aliis ad eam sub hoc nomine expendendam stravit. Hic igitur S. Doctor cum multis in libris divinam gratiam magnificè extulisset,

lisset, omnemque Creatam naturam, vel potius Creatæ naturæ superbiam & ingratitude[m] frequisset. veraque & germana ac solidissima Humilitatis Christianæ, seu veriùs omnis Creaturæ fundamenta jecisset fontesque aperuisset, tum etiam Delectantis Gratia[e] frequenter omninò commemorit, talibusque Orationibus ejus naturam proprietatesque exposuit, ut ad ejus explicationes addi à nobis nihil possit.

Lib. 1. de Gratia Christi c. 13. vocat hanc Gratiã *suavitatem ineffabilem* Eodem lib. 1. C. 35. vocat illam *Adjutorium ad benè agendum*, quod Deus naturæ atque doctrinæ adjungit, flagrantissimam & luminosissimam charitatem inspirando. At verò lib. de meritis & Remissione. 2. Cap. 17. vocat illam. Ejusmodi suavitatem quam donat Deus ut animæ nostræ terra, suos virtutis fructus ferat, alias arida & sterilis futura, velut ager quem neque ros neque ulla pluvia mollierit. Eodem lib. C. 19. discite illam, dicit delectationem *Victricem*, quæ, adversantes cupiditatum illecebras, terrores ab improbis intentatos, inolitæ consuetudinis vim, & quidquid vitiis suffragatur, evincit & expellit. Libro de Correp. & Gratiã C. 8. vocat illam *delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem*. Quam cum ineffabili suavitate, (ait id. lib. 1. de Grat. Christi c. 13.) infundit non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus: ita ut non tantum ostendat modo veritatem, verum etiam impertiat charitatem. Tractatu 26. in Joan. explicans illa verba Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, traxerit eum.* post aliqua

12.

112
xi
: usce
: I
V

aliqua præmissa ait. Est quaedam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro si Poëta dicere licuit. *Trahit sua quemque voluptas. non necessitas sed voluptas: non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus.* Trahi hominem ad Christum qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est. An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis. post pauca: *Ramum ait viridem ostendis ovi, & trahis illam, Noces puero ostenduntur & trahitur, & quia quo currit, trahitur, sine latione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.* Si igitur ista, quæ inter delicias & voluptates terrenas, revelantur amantibus, trahunt (quoniam verum est, *Trahit sua quemque voluptas*) non trahitur revelatus Christus à Patre? Quid enim fortius desiderat anima quam Veritatem.

13.

Hæc & plura alia alibi Augustinus de Gratia delectante & vincente, cuius ex verbis & quid sit, & quanti æstimanda sit, & quam necessaria sit, & unde petenda, & quorsum dirigenda, quomodoque fovenda ac retinenda sit, consideranti facile patet. nullus enim est alius fons, nullus scopus, nullum objectam ejus, nisi solus Deus à quo illa manat, in quem tendit, quem sic & ideo agnoscit atque amat, ut amet tanquam bonorum omnium bonum summum, summè delectans, summa & æternâ bonitate beatitudineque replens. (Quis enim sic delectat quam ille, qui fecit omnia, quæ delectant.) Aug. in Psal. 32.

CAPUT

CAPUT VI.

*Quos in usus Gratiae Delectatio ad-
iuncta sit.*

EX supra dictis quidem non parum elucescit, Summo Consilio, summam providentiam DEI actum esse, quod Gratiae divinae Auxilia, Delectationem istam (ut dixerat Aug.) victri- cem adjunctam habeant; at tamen ex instituto fu- siss expressiusque id explicandum existimo, ut pateat, tum quantifacienda sit etiam & ex hoc Capite divina Gratia, tum quos & quomodo in usus a nobis flectenda sit atque usurpanda, si quando illam nobis a Christo suggeri contigerit. Et quidem ego potissimum duas ob causas existi- mo a Deo mortalibus hanc delectantem Gratiam subministrari. Una est Ejectio voluptatis & de- lectationis terrenae atque sensualis. Altera vero expugnatio Tristitiae & mæroris Spiritus. U- tramque hanc pestem quomodo ex animo Gratia delectans explodat, in hoc, sequentique Cap. quam brevissime poterò, volo indagare. Quan- tum ad primum attinet, certum indubitatumque nobis esse debet. Hominem duci voluptate in a- gendo, ita ut si absit voluptas non agat, vel si a- gere cogatur in aliquam extraneam cum ægritudine & molestia rebellionemque agat, hoc experientia satis docet, nec indiget probatione.

Jam illud quoque consimiliter certum esse oportet Delectationem esse ex bono, malo enim nemo delectari potest quia tale est, sed & bono nemo delectatur ignoro, nemo absente, verum opus est, bonum, & præsens esse, & cognitum sub ratione boni esse, ad hoc ut delectationem pa- riat:

14.

15.

112
xi
: usce
: I
V

riat: Quam ob causam Delectatio nasci dicitur ex presentia proportionati, seu connaturalis boni: idque, non quomodocunque sed pro tali, id est, sub ratione sui boni cogniti. Nam & ignoti nulla cupido, & absentis nulla delectatio, è contra verò Cogniti boni amor est: absentis desiderium seu cupido, presentis delectatio, sive fruitio, sive lætitia, & gaudium, & quoniam delectatio gaudiumque jucunda sunt animo his affecto, ideò quidquid delectat, jucundum etiam est, nec fatigat aut molestat aut inquietat animum: sed potius quietum & contentum, pacatum, tranquillumque facit. Ea propterea delectatio quies animi dicitur, in re enim delectabili, sic conquiescit animus, ut in suo loco conquiescit corpus. vel ut in luce conquiescit sanus oculus.

16.

Uterius autem progrediendo: Delectatio proprie dicta non potest esse, nisi in rebus Cognitione appetituque boni præditis: quæ enim bonum non apprehendunt cognitione, quomodo possunt delectari ejus fruitione ac possessione? Porro, cum duplex sit genus cognoscentium bona sibi connaturalia, seu (aliter) convenientia, unum Sensu, alterum præterea Ratione præditum, cumque consequenter duplex sit bonorum genus, alterum quod sensui, alterum quod Rationi bonum videtur; relinquitur, vicissim duplicem quoque delectationem reperiri: alteram quidem quam sensus ex suis, alteram quam Ratio ex suis quoque bonis percipere potest. Iterum autem cum Ratio duplici in ordine posita duplicemque in finem & vitam ordinata sit, quarum altera naturalis est, altera naturæ limites supergreditur, oportet rationem duplicia bona habere & ex duplicibus

plicibus bonis duplicem quoque delectationem percipere posse, unam quidem quæ naturalis sit, alteram quæ supernaturalis. Atque adhuc, cum hæc omnes vitæ rationes vivendique ordines in hominibus (scilicet Sensualis, Rationalis Naturalis, rationalis supernaturalis) sint divina dispositione sibi mutuò subordinati, ita ut sensualem Rationali naturali, naturalem rationalem, supernaturali subjici subservireque oporteat: exinde necessariò consequenti etiam bona harum vivendi rationum &c. & delectationes ex his bonis in vitæ quodvis genus redundantes, mutuò & debitè sibi subordinari debere; ita quidem ut digniori vilior, præstantiori humilior submittatur. Et cum satis constat sensualem vitam omnium esse vilissimam, huic autem præminere Naturalem Rationalem; isti insuper præstare supernaturalem, etiam necessariò constare debet, omnino delectationes, ex bonis sensualibus natas, servire debere Delectationibus Rationis naturalis, & vicissim delectationes hujus, servire oportere Delectationibus Rationis vitæque supernaturalis. Quare non plus nec aliter sensus debet quærere & admittere delectationes suas, nisi quantum & quatenus eæ stare simul possunt cum delectationibus Rationis naturalis. Ratio quoque naturalis eatenus solum debet quærere & usurpare delectationes sibi conformes, quatenus eæ supernaturalis vitæ commodis & delectationibus subservire possunt.

Hæc delectationum subordinatio, facillima nobis esset, si ipsarummet illarum vivendi rationum, hoc est Humanarum portionum, subordinatio in nobis integra & firma consisteret.

V.P. Druz. Op. III.

B

Sed

112
xi
: usce
: I
V

16.

Sed quia ita primævo lapsu Naturam nostram infregimus, ut sensui contra rationem rebellandi frenosque excutiendi occasionem & licentiam & consuetudinem fecerimus, rationemque naturalem ac multò magis & supernaturalem, in nobis debilitaverimus ac sepeliverimus, idè in tumultibus factum est, & quotidie fieri experimur, ut quemadmodum sensus rationi repugnat, Ratio naturalis semper naturam suamque bonum, vix unquam supernaturale attendit, ita quoque delectamenta sensuum pugnant cum delectamentis rationis naturalis, & hæc quoque à delectamentis avocant animum supernaturalibus. Inde est, ut totus hominis labor, tota industria, toti conatus, in hoc unum præcipuumque desudare debeant, ut aliquã commodã vi & methodo, pugnam hanc trium istorum vitæ nostræ ordinum, tripliciumque harum nostrarum portionum componere ad debitamque & Deo præscriptam subordinationem revocare possimus.

17.

Et hæc est illa in Legibus Christianis, Sacrisque Spiritus S. & Patrum nostrorum libris decantatissima inter carnem & Animam, inter sensum & Spiritum, inter Naturam & Gratiam, inter Concupiscentiam & Charitatem, inter proprium & divinum Amorem, lucta atque conflictatio. Hæc est illa Christi voce ad omnes homines evangelica, sui abnegatio. *Qui vult, inquit, venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie & sequatur me.* Item *qui non odit Patrem, Matrem, fratres, sorores, uxorem, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Hæc ipsa quoque est per Tubam Apostolicam promulgata

Luc. 9. 23.

vulgata, sui abnegatio. *Qui vult, inquit, venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*

Luc. 14. 26.

quod dicitur, qui non odit Patrem, Matrem, fratres, sorores, uxorem, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus. Hæc ipsa quoque est per Tubam Apostolicam promulgata

Mortu

Mortificatio. *Mortificate, ait, membra vestra, quæ sunt super terram. Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, si autem secundum carnem vixeritis moriemini. Caro concupiscit adversus Spiritum & spiritus adversus carnem.* In hac pugna, in hac luctu, nulla pax, nullæ induciæ esse possunt aliter, nisi si forte inferior cogatur, discat, infuescat, gaudeat subordinari superiori. Et in hoc est Christianæ tota posita athleticæ disciplina, in hoc tota Christianæ legis in hac vitâ, perfectio: in hoc hujus vitæ sita felicitas, ita nimirum expugnare & domare inferiores sui partes, ut non tantum superioribus subsint; sed etiam libenter, etiam suaviter subsint. Ad quam libentiam, ad quam suavitatem (quoniam sine labore, dolore, vi, resistantiâ in assuetâ suis privatis juribus commodisque natura haberi non potest) obtinendam, Deus providentissimus, suæ Gratix Auxilianti, sine qua nos nihil in hisce pugnis & bellis dignum cælo, Virtute, Deo perficere possumus, adjunxit delectationem: facitque per unius & ejusdem Auxiliantis Gratix subsidium, ut & cognoscamus recta à non rectis, tanquam per lumen, & tendamus in eadem voluntate nostrâ tanquam per quendam impulsum, & cum suavitate delectamentoque adversitates omnes resistentiasque & tentationes consurgentes, seseque opposcentes superemus, in bono autem & recto conquiescamus, & illi fortiter adhareamus, tanquam per delectabilem quietem ac perseverantiam.

Hæc igitur est una Causa Gratix delectantis, Expulsio scilicet seu quod idem est, subordinatio Carnalis sensualisque Voluptatis & Cupiditatis,

Col. 3. 5.
Rom. 8. 13.
Gal. 5. 17.

112
xi
: uscat
: l
V



tatis, in ejus, 'autem subinductio & præpositio
Castæ suavitatis & sanctæ Charitatis. Nam ut Au-
gustinus in Psalm. 9. ait. *Delectatio perniciofa
quitur Cupiditatem: fructuosa Charitatem.*

CAPUT VII.

*Gratia Delectans datur ut Spiritus Tristi-
tiam extinguat.*

18.

AD alteram Gratia Delectantis causam accedat. alterumque ejus veluti officium, quod in animis nostris fungitur examino. Est autem hoc, Tristem Spiritum ab hominis animo amoveri. Sancti Augustini indubitata doctrina est, quod duabus potissimum viis, seu portis, diaboli ad corda hominum ingredi solere, scilicet Amore & Timore, nam omne peccatum, omnique diaboli laqueus, in his duobus affectibus latet. semper enim, aut nobis demon proponit tanquam amanda concupiscendaque ea quæ non sunt amanda; aut tanquam timenda, ea quæ non sunt timenda: quorum alterutrum ubi a corde nostro obtinuerit, gregem illico turbatum peccatorum illuc introducit. Quocirca rectè Augustinus verba illa Apostoli. *Nolite locum dare diabolo*: ita interpretatur, ut dicat tunc nos cum dare diabolo quando aliquid vel amamus vel timemus: nihil timeamus, nihil amemus omnem locum diabolo portamque præclusimus. Sed de Amore & Cupiditate proximo Capitulo actum satis: Timorem nunc expendimus.

Hic enim est fons Tristitiæ, pater & originis mœroris. Num dum evenisse nobis id malum arbitramur, quod metuebamus tum tristamur, tum

lemus, irascimur, torquemur. Quâ affectione
 vix quidquam est in Animo nostro pestilentius:
 vix, ac ne vix quidem, est aliquid omni virtutum
 generi in nobis calamitosius & nocentius: adeo
 ut prorsus nesciam, an quidquam in vitâ legeque
 Christianâ & Spirituali æquè sit hominibus fu-
 giendum, ac Tristitiæ spiritus. Unde & Clima-
 cus: „*Quicumque lapsi sumus, ante omnia spiritui
 mæroris resistamus. Hic est venenum cordis, „
 præcipitatio & barathrum animi: tabes hominis „
 viventis, hostis fervoris sancti, exitium, noverca „
 Gratia, pabulum diaboli, lerna peccatorum, ace- „
 dia mater, hominis infernus, rabiei infernalis præ- „
 gustatio, adamantina diaboli catena, pondus, in „
 abisso miseriæ & furoris, hominem tenens & de- „
 primens.* Recte S. Chrysostomus l. 3. de Provi-
 dentia. Nullam diabolicam actionem poten-
 tiorē esse, ad nocendum, mæroris magnitudine.
 Salomon ait, *Spiritus tristis exsiccat ossa, cap. 81.*
 Nescio, an exprimere signantiùs malitiam mæ-
 roris potuerit. Non ait, debilitat carnem, vel
 exsiccat carnem, sed exsiccat ossa: scilicet nequi-
 tia non perstringit solam cutem, non solum pe-
 netrat carnem, non solos nervos venasque per-
 vadit, non solos affligit musculos, ad ima ossium
 ingreditur, depastis & consumptis in homine
 omnibus, etiam ipsas ossium medullas exedit,
 sicque omnem spem vigoris recuperandi adimit.
 Exhaustis autem exsiccatisque ossibus, quæ spes
 vitæ vegetationisque reliqua? Hoc facit Spiri-
 tus Tristis. Non tantum nihil boni est in ho-
 mine per tristitiam dejecto, sed neque spes boni
 est, verum sola remanet extrema calamitas, de-

B 3

spera-

112
 xi
 usca
 I
 V

speratio salutis, & tantum non infernalis infelicitas.

19.

Vide hominem tristitiæ Spiritu agitatum & occupatum: Nulla illi mens, nulla ratio recta, nullum aut habet aut admittit sanctum consilium, non ille amore, non timore regitur; si amabilem objicias vel ipsum Deum, contemnit; si inferni ipsas ostentes pœnas, præceps & ultro se illis devovet. non potens iræ, non desperationis, non audaciæ; furit, odit, ringitur, rabie insanit, stupescit; Nulla in re gustum capit & habet, nisi, si fortè socium & incentorem tristitiæ invenerit; nullum illi beneficium magnum, nullus estimandus amicus, nulla levis & contemnenda injuria. Hoc malum tantò intimius occupat, tantò fortius tenet, tantò promptius citiusque invadit hominem, quantò magis quis se illi quandoque permiserit. Videas tales quandoque nullâ causâ habitâ, solâ tantùm causæ suspitione, imò & absque suspitione ullâ, hoc malo corripit & agitari. Hominibus, huic malo obnoxiiis & occupari solitis, nihil promptius ad Contumelias, ad blasphemias, ad impuras cogitationes, ad desperabundas, ad projectè audaces resolutiones; talibus nihili, est repugnare superiori, contemnere parem, convitari inferiorem, innocentem appetere, parcere nulli, minas & furores vomere, vocationis, obligationis, honestatis omnia repagula rumpere & calcare, Audent etiam tales Deum ubique culpate, & suæ miseriæ vel nequitix causam in Deum conjicere; illum sui oblitum, rerum suarum ignarum, ingratum suorum erga se obsequiorum, cupidum sui sanguinis, & peccatorum & calamitatum,

cogi-

cogitare, imò & dicere non verentur. Tanta est vis mæroris ad animum admitti. Ex his vero quis non videt quanta hæc pestis sit animi, honestatis, virtutis, vitæ denique Spiritualis. quanto animi conatu & cautelâ vel excuti, vel averti, arcerique debeat à corde?

Tanti mali origo plerumque à natura est, sive à naturali hominis temperamento. Dum enim quis atrabile abundat & humore, ut vocant, Melancholico, is connaturaliter nisi ratione rectâ & Gratiâ divinâ sese frenaverit, in hanc Mœstitiæ affectionem pronus & effusus esse solet, maxime ubi insuper vel flavabili cholericôq; humore vel pituitâ (quo pejus est nihil) abundare eundem contigerit. Istiusmodi namque temperamento præditus homo, cogitabundus, & altè introrsus meditabundus esse solet, taciturnus, aliorum (nisi fortè paucorum qui ad mentem loquantur) colloquia fugitans, suspicax, murmurator. amarus, omnium in se oculos defixos esse, ab omnibus se notari & culpari, omnibus odiosum se esse putat. Nemo illi non gravis est, cumque ipse omnibus meritò debeat esse gravissimus, existimat tamen se innocentissimum inter omnes vivere, nulli datâ occasione molestiæ. Huic naturæ, ubi usus etiam consuetudoque, sive habitus mærendi accesserit, incurabilis morbus est.

Irritari autem hæc miseria affolet præcipuè, quotiescunque aliquid contra voluntatem, contra spem & propositum, contra iudicium decretumque evenerit.

Isti malo remedium aliud non est usquam, quàm in ipsomet qui illo affectus est: ut primùm quidem hunc esse morbum, eo se laborare,

B 4

agno-

20.

21.

112

xi

113

1

V

agnoscat; illumque in semetipso abhorreat. Multi enim ab hoc malo non sanantur, quia illud non morbum, sed sanitatem putant. Alterum est, ut suo iudicio nunquam fidat, sed in omnibus etiam minutis, etiam suo iudicio sibi evidentissimis rebus, alterius opinioni potius cedat, quam suam nitatur. Post hæc, opus est, ut sese non multum amet, suasque res non magni prorsus æstimet, non famam, non voluntatem, non vitam: hoc ubi habuerit, næ ille facilè ansam mæroris inventurus est. Præterea fugiat solitudines, fugiat amara colloquia, & amaros collocutores, pestes istas animi sui, quos evitare, quos si repellere scit, & solet, non ita pronum ipsi est Tristitiâ demergi. Et quia durum est tacere cum doleas, difficile conceptum animo dolorem non effundere; licet ergo ut effundas, imò & volo quamprimum ut effundas: sed ei quem animæ tuæ Patrem, ducem, Magistrumque sortitus es. Hinc te tuæque effunde omnia: sed cave ne illum ipsum putes & habeas, cui mali causam attribuas; hinc primum de illo depone opinionem, quod si non potes deponere, apud illum tamen tu deponetam tristitiam, sorbeat quod affudit: reperies non rarò (dicam semper) errasse te, & meris tantum suspicionibus, umbrisque laborasse, ignarum veniudicem superioris tui, damnatorem innocentis. Quod si revera nocens ille ipse fuerit, atque in te peccaverit, tu tamen prout debes illum amare vel odientem, crede decipienti, vince in bono malum, & si non fecerit illum tibi tua sinceritas subjectioque amiciosem, attamen te tibi reddet quietiorem, reddet meliorem superiori, reddet Gratiorem Deo, reddet victorem diaboli.

Nihil tamen aquæ radicitus malum tristitiæ ab animo detergit, atque lætitia ipsa & delectatio. Si usquam verum est, Contraria contrariis curari: hîc certe vidimus non raro homines acerbissimis oppressos mæroribus, incapaces omnis remedi, nullis rationibus Sapientum, nullis sacris commentationibus, nullis convictionibus superabiles, unicâ lepidâ narratiunculâ, unicâ exercitatione ludicrâ, festivo joco uno, rediisse ad amœnitatem, ad pacem, ad sanitatem: Verum hoc industriæ genus admodum rarum est apud Animarum Pastores, apud Spiritus Magistros, apud Christianæ vitæ Duces, facilius apud Medicos, apud Politicos amicos repereris. Existimant nempe isti, qui juxta Apostolum *Spirituales* sunt, gravitatem disciplinæ Christianæ minus decere istius modi amœnitatem & affabilitatem; quasi verò etiam non istæ Virtutes sint, non etiam Christianum deceant. Non judicant isti, quod sæpè corda, quæ frangendo curare laborant frustra, melius flectendo leniter curassent: & quæ laniano magis exulcerant: mulcendo facile mitigassent: & quæ austeritate, importunâ, nimiâ, & non secundum scientiam exactâ disciplinâ perdunt; hac mansuetudine in tempore usurpatâ lucrati fuissent sibi, communitati, & Christo. Sunt enim non raro homines, quibus, si, dum furunt & insaniunt, paulisper cesseris, indulseris, eosque (ut ajunt) patienter toleraveris: ubi deferbuerint, illicò ipsi sibi succenseant, ultrò se acculent, ultrò pœnas deposcant, omnemque pœnam quam injunxeris leviolem erratis suis putent. Hos ex arte tractare scire, planè sapientis est Animarum Magistri, sic equis dum sæviunt blandimur

B 5

dimur

112
xi
1500
: I
V

dimur, cedimus, adulamur; mansuefactis autem & mitigatis insidemus & insultamus. Delectatio igitur & aliquantula suavitatis indulgentia, maroris malum ab animo arcet & pellit.

23.

Ea propter Sapientissimus Deus gratia suae, quâ sine, vita Spiritualis nullo modo vivitur, ad reliquas proprietates adjunxit delectationem, ut videlicet omnis per eam amaritudo, omnis horror, omnis tristitiæ nubes ab animo depellatur. Inde vulgò dicitur *suaviter equitare quem Gratia Dei portat*. Et certe, quomodo Gratia esset gratia, si esset ingrata; esset vero, si esset amara, insuavis, turbulenta. Sed absit ut talem dicamus. A suavitatum voluptatumque omnium mari dimanat gratia, ideo non potest non esse voluptuosissima. Nec immerito, Deus enim supernaturalibus donis suis, non evertit naturalia sed perficit; non tollit sed commutat, & ordinem ad altiorem sublevat. Cum igitur naturæ nostræ innatum sit, suavem appetere in omnibus vitam, in actionibusque singulis venari voluptatem: hoc ipsum Deus in supernaturali ordine, non tantum non imperat tolli, sed potius etiam jubet ad altiorem ordinem dirigi, & supereminentiore dulcedine condiri atque ex genere naturalium, inter supernaturales transferri. Quod dum plerique ignorant, ideò vitam supernaturalem, plusquam horridam & agrestem putant. Existimant enim, sese, ut primum ad supernaturalem vitam animum applicare voluerint, illico omni naturæ delectationi, omni suavitati & amœnitati Ingenii animique abrenuntiare debere, quod longe aliter est ac putant. Amœnitas Naturæ, hilaritas ingenii, non vitium est, sed ingens Dei bonum: quod-

quod qui fortitus est, *animam bonam* (pro quâ Salomon merito Deo Gratias agit) *fortitus est*. hoc non tantum non est deponendum quando ad serviendum Deo acceditur, verum etiam quam maxime est conservandum; *hilarem namque datorem diligit Deus*: quomodo autem se, aut sua, hilariter dabit Deo, qui hilarius non est in seipso. Fateor, quod vitiosum, ineptum, inordinatum, rationi repugnans est, id tollendum esse in vitâ spirituali: Sed hoc non sola Spiritualis supernaturalisque Christiana lex vult, verum & Naturalis recta ratio præscribit. Non etiam nego, cum Virtute, cumque præclarâ sui victoriâ fieri, quod etiam licitæ & honestæ animi naturales voluptates à corpore & animo quandoque relegantur, ad exemplum Christi, ad Imitationem Sanctorum, ad expiandas præteritæ vitæ noxas, ad augenda spontaneis afflictionibus merita gratiæ & gloriæ. Sed aliud est quod licitè & meritoriè agitur, aliud quod necessariò Vita Spiritualis requirit.

Harum delectationum honestarum naturalium, vita Supernaturalis ablegationem non imperat, sed earum in supernaturalem finem directionem requirit, alioquin *de mundo*, ut ait Apostolus, *exeundum erat omnibus, supernaturalem vitam viventibus*: & omnis prorsus hujus temporalis vitæ conditio exuenda, nec manducandum, nec bibendum, nec quiescendum, nec ullum omninò naturalis vitæ opus exequendum. Quis enim ubi cibum sumit, aut potum, non se recreari sentit? quis somno non relevatur? quis post iter sedendi quietem non experitur? Hæc omnia delectationes sunt naturales & corporeæ; nec potest sine his hæc vita duci, neque tamen his nos

vult

24.

1. Cor. 5.

vult carere supernaturalis vivendi professio, sed tantum ista sibi subordinari, & in tantum usurpari, in quantum ipsius profectibus utile est, imperat. Neque amplius severiusve est supernaturalis vitæ in Naturalem Dominium, quod dum passim ignoratur, passim etiam maximo multorum detrimento secus quàm deberet, de Vita Spirituali & supernaturali judicatur: & cruditas quædam crudelitasque in naturam Deo affingitur. Quædè re quia satis copiosè alibi dixi: nunc me ad Gratiam Delectantem revoco, eamque, ut jam sæpius dixi, ideò divinitùs hominibus affundè assero, ut tristis Spiritus, ab animis eorum, dum in Dei servitio occupantur, quam longissimè arceatur: quod quibus viis & modis Gratia exequatur, sequenti capite, quoniam hoc longius excrevit, indicabo.

CAPUT VIII.

Qua ratione fiat ut Gratia Divina Delectationes in animo, ablegatis Tristitiis experiamur?

25. **A**D hoc pertractandum, evocat me, tum præcedenti Capite inchoata materies, tum quotidiana multorum Spiritualem vitam viventium, supernaturalemque perfectionem inquirentium confessio, ne dicam querela. Fatentur enim passim multi, se in Vitæ Spirituales consecratione, molestiæ multum, pugnae & luctæ interioris multum, sollicitudinis etiam timorisque, quin & tristitiæ multum perpetuò exhaurire: delectationes verò & suavitates & gustus, & delicias unctionesque Spiritùs, quamvis tantopere

decantatas, & scilicet in hoc Vitæ genere etiam
 usitatas, minime degustare aut experiri. Quâ
 de causâ, libet nunc causas indagare sterilitatis
 hujus: sic enim fiet ut facile advertamus, quibus
 modis Delectationes Gratiarum Divinarum in ani-
 mum vel ipsæ descendant, vel derivandæ sint. Et
 primum quidem illud adnoto: Cavendum esse
 hic ne quis aliter de Gratiâ delectante sentiat,
 quam opus est, ne videlicet ita prorsus delecta-
 tiones Spiritus sensu metiatur, prout delectatio-
 nes carnis, vel palato, vel tactu, vel odoratu,
 vel alio quopiam sentiendi organo. Qui ita affe-
 ctus est, errat & carnem sapit. Gratiæ Divinæ
 Delectatio, Voluptas ex Gratia procedens, nec
 sapor, nec odor, nec color, nec quid tale est,
 sed est sapor mentis, natus in eâ ex Veritate &
 Charitate. Tunc anima delectatur Gratiâ super-
 naturali, quando amat, quando sectatur, quando
 obtinet, Veritatem, charitatem, Justitiam, Chri-
 stum, Deum, quidquid circa horum amorem &
 quæstionem patiatur, quidquid perferat mole-
 stia (perferre autem necessario cogitur ob luctam
 carnis, ad suas miseras delectationes perpetuo
 mentem revocare conantis) dummodò nihilo-
 minus, in quærendo, in amando perseveret: de-
 lectatur, voluptuatur, fruitur, gaudet, lætatur.
 Quâ in re, experientiam potius quàm verba alle-
 gata, malum, exemplum tamen afferre non gra-
 vabor. Paulus Apostolus de semetipso & de suis
 similibus sic ait. *Quis nos separabit à Charitate Chri-
 sti. Tribulatio? an gladius? an fames? an perse-
 cutio? &c.* ex his verbis intueor, ego, Paulum
 septum undique infinitis periculis: nihilominus
 in istis omnibus immotum & quietum. Si quie-

Rom. 8. 15.

tus

112
 xi
 usca
 I
 V

tus est Paulus in tantis discriminibus & pugnis certe delectatur: quies enim mentis est Delectatio, ut supra docui, at unde in Paulo quies ista & delectatio, nisi à Charitate Christi, à quâ quies non separatur, ideò quiescit, & quia quiescit delectatur. Igitur adhærere & non separari à Charitate, est frui delectatione & pace.

27.

Ex his quæ prædixi, confectum habemus quod quærimus: nempe quâ fiat ut delectationibus Spiritualis Gratia in vitâ Spirituali careamus, & quibus viis Gratia istius delectationes ad nos derivare possimus? Etenim illud primum ideò toleramus, quia à Charitate Christi, à dilectione justitiæ, ab amore veritatis & recti discedimus. Illud verò alterum assequimur si mordicus ambabus ut ajunt manibus, Recto, Justo, Verò, Honesto, Christo, adhærescere voluerimus. Id jam ex Pauli Apostoli exemplo patere nobis potuit: necesse tamen est uberius hoc utrumquæ declarare. Ac imprimis occurrit mihi ad rem profus meam loquens S. Anselmus Epist. 7. ubi scribit. (*Amice mi & frater dilectissime totis viribus Quietem mentis studeas, sine quâ, nulli licet callidius hostis insidias circumspicere vel semitas virtutum augustissimas prospicere. Ad hanc vero (Quietem mentis) Monachus, qui in Monasterio conversatur, pertinere nullatenus valet, sine Constantiâ & Mansuetudine (quæ Mansuetudo indissolubilis comes est patientiæ) & nisi Monasterii sui instituta (quæ divinis non prohibentur mandatis) etsi rationem eorum non providerit, ut religiosa studuerit observare.*) Hæc Anselmus, quibus quidem verbis luculenter Sanctus Doctor & necessitatem quietis internæ (quæ idem est quod Delectatio) & modum ejus

acqui-

acquirendæ describit, eumque non alium quam perseverantem patientemque in rebus adversis tolerantiam, & omnium Instituti sui præscriptionum exactam observationem.

Non est autem existimandus Sanctissimus hic Pater, sine magno Spiritûs S. lumine utrumque hoc ad pacem mentis comparandam, medium præscripsisse. Nam quantum ad primum attinet certum sine patientiâ pacem non haberi, sic enim Patientia ad pacem, ut humiliatio ducit ad humilitatem: fundamentum verò ejus doctrinæ est in ipsâ Naturâ tam Vitæ Spiritualis, quàm nostrâ, qui illam exercemus, defixum. Nos enim ita à primis vitæ nostræ exordiis vulgo vivimus, ut semper sensibus grata appetamus indulgeamusque, horreamus autem ea quæ sunt sensibus inimica: deinde vero initio vitæ, nulla profus alia bona quàm ea, quæ sensibus subiecta sunt, æstimare cognoscere & inquirere adsuëscimus: Accedit quod Passionum effrenatam licentiam non agnoscimus initio, sed priùs illis plerumque omnia frena permittimus, quam illarum impotentiam sentire agnoscereque incipimus: unde fit ut tali vivendi rationi passionatæ, sensuali, animali, terrenæ, infueti: si quando ad saniora, ad rationalia, ad Christiana & supernaturalia Consilia præceptaque nos revocare volumus, difficultatem, luctam, rebellionem præsumptæ consuetudinis experiamur. Difficulus enim & cum molestiâ gravi ex animo deponitur, quod diu & cum delectatione animo impressum est. Bella igitur opus est ut perferamus interna, quando à carnali ad Spiritualem vitam nos transferimus: & quia bella, necesse est & subire

28.

1112

xi

1502

I

V

subire pericula, sæpe etiam vulnera, quocirca non potest etiam in tali passu deesse patienti materia: quod si suppetit patiendi materia: utique non debet abesse cum Mansuetudine, patientia. Nam si hæc defuerit, Victoria penes hostem erit, supernaturalis deferetur vita, & ad sensum lem pristinam regressio fiet, ut canis ad vomitum, aut suis lotæ ad volutabrum: illudeturque tali homini à videntibus omnibus, *quia hic homo cepit edificare & non potuit consummare.* Si autem Patientia adfuerit: & in patiendo Constantia penes Rationem & Gratiâ erit Victoria, victoriam triumphus sequetur, ex hoc delectatio hæc autem est pax animi & quies: pax vero est (juxta Gregorium Nazian. Orat. 14) *id quod cuique placet, imperiumque in turbulentas animi perturbationes.* Ex quibus omnibus patet quàm verum Anselmus dixerit, ad pacem mentis sine mansuetudine & patientia constante perveniri non posse.

29.

Jam quantum ad alterum illud spectat; quod Anselmus de Observatione legum institutione que omnium attulit: id quoque per omnia certissimum est. Nimirum sine eo Delectatione Spiritûs nullo modo obtineri posse. Dum enim ita in Christi lege vel in Religiosa domesticæ non servantur, tum necessariò propria quidem & privata servitur voluntati, Divini autem & Majorum & communitatis universali resistitur mandatis: ex quo necesse est erumpere discordiam, & inquietudinem, & amaritudinem: exulare autem omnem pacem & delectationem. sine observatione igitur proprii statuti & vite

& vitæ supernaturalis, ad sectandum delectæ institutorum, nulla pax animo, nulla delectatio gratiæ inesse potest.

Altiùs hujus ipsius doctrinæ fontem petere non inutiliter possumus: quem nobis indicat S. Bernardus Serm. 75. in Cantica dicens. *Dissimulatur (id est negligitur) lex, subtrahitur Gratia, vigor disciplinæ lentescit.* Quibus verbis, disertè duo damna gravissima ex negligentia Regularum Religiosarum dimanantia exponit. Horum alterum privatum est, ejus scilicet qui negligit servare Instituti sui Regulas; alterum Commune, totius scilicet Communitatis, in quâ tales neglectores legum reperiuntur. Primum est, Subtractio Divinæ Gratia ei, qui instituti sui leges servare contemnit. alterum est, dissolutio disciplinæ, quæ in Communitatem ex negligentia legum necessariò subintrat. Hoc alterum non est ad præsens Institutum: primum illud ad nos pertinet: sed ejus ratio patere non videtur, maxime quando in aliquâ Communitate, regulæ ad sui observationem sub peccato non ligant. Cur enim tunc subtrahitur Gratia, quando nulla est in negligentia regularum culpa. Sciendum igitur Christianam legem, & omnem Religiosam professionem, esse institutam à Deo, ad hoc, ut in ea perfectionem & Gratiam & beatitudinem obtineamus: ad id tanquam ad finem melius & certius obtinendum, idem ille Deus, media præscripsit ordinavitque; quorum usu ad prædictum finem perveniamus. Ita in Christiana lege, sunt media salutis certa, certæ leges, quæ nisi teneantur & servantur, Christiana perfectio salusque non obtinetur. talia sunt Fides, Sacra-

V. P. Druzb. Op. III.

C

menta

30.

1062
xi
1500
I
V

menta Christi, & Ecclesiæ præcepta &c. In Religiosis institutis, sunt propria à quolibet Instituto præscripta vivendi Regulæ.

31.

Hisce mediis tanquam aliquibus Conditionibus occasionibusque requisitis alligavit Deus gratiæ suæ actualia auxilia, ad salutem ad perfectionemque assequendam necessaria: alligavit autem per hoc solum, quia ex liberâ suâ Voluntate decrevit, non dare aliter ulli gratiam pro hoc statu, & pro hac vivendi ratione tenendam necessariam, nisi posita hac conditione, quod si quis velit, uti & de facto utatur tali vel tali medio, talem vel talem Regulam servet. v. g. Deus nullum salvat nisi prius baptizetur, Baptismo igitur alligavit gratiam suam, adeò ut posita conditione Baptismi gratiam det, non posita non det. Similiter in Religionibus alligavit DEUS Psalmodiæ vel Meditationis horæ Gratiam: ut si Religiosus preces decantavit horam Contemplationi assignatam impenderit, gratiam recipiat, si autem neglexerit quod de his Regula præscripta, Gratiâ destituatur & careat. Neque enim Deus tenetur tunc & eo modo homini Gratiâ dare, quando & quomodo ipse homo vult: sed tunc eas homo tenetur ambire, & quærere, & aucupari, quando illas Deus dare, decrevit: decrevit autem dare tunc, quando regulæ ab ipso Deo vel ab hominibus à Deo inspiratis præscriptæ servabuntur. Cujus decreti divini, etsi sufficientis causa est mera voluntas & Beneplacitum ejus, attamen illa commode assignari potest, quod Regulæ à Dei Voluntate præscriptæ sunt, has igitur qui servat Dei voluntatem implet: qui autem Dei voluntatem implet utique congruat

est ut gratiam apud Deum inveniat, ab illoque recipiat. Contra; qui spernit Regulas (jussaque majorum) Dei voluntatem spernit: quã spernã, qui fieri potest ut gratiam à Deo, cui meritò ingratus est, recipiat. Observare igitur regulas debet, si quis Gratias à Deo recipere velit.

Ex quo satis liquet, quomodo gratia ad dissimulationem, hoc est, Negligentiam regularum, sequatur. Per hoc enim ipsum subtrahuntur, quia non dantur; non dantur verò, quia conditiones ad earum conditionem requisitæ non ponuntur. Conditiones istæ, observationes sunt. Observa regulam, ut recipias gratiam. Quod si gratia non datur negligentem observationem regulæ, consequens est, ut eidem neque delectatio gratiæ conferatur, atque ita tandem & illud verum est, quod Anselmus asseruit, pacem mentis non posse habere quenquam religiosorum, nisi instituta Ordinis sui studuerit observare. Inde porrò tandem illud manifestum evadit, quod in præsentis capite indagandum proposueramus, divinæ gratiæ Delectationes & suavitates, non aliis viis ad nos derivari, nec aliis modis Tristitias mæroresque Spiritus ab animo detergi, quàm si omni conatu, mentis rectitudine, veritati, justitiæ, Charitati, Christo & Deo adhærescamus: omnibus autem his adhærescimus; quando omnia præscripta, omnesque regulas, ejus vitæ quam nobis ad salutem æternam Deo annuente delegimus, exactè ad amissimamque servamus.

Hoc utinam seridè efficaciterque apprehendant omnes ii, quotquot supernaturalis Vitæ studio accensi, religiosum profitentur institutum!

32.

33.

112
xi
1500
I
V

In Reli-
nstituto
nditio-
rit Deus
d perfe-
alligavit
Volun-
iam pro-
tenenda
quod, si
tali me-
g. Deu
aptimo
ritã con-
sita non
t DEUS
am: ut
templa-
recipiat
præscr-
ue enim
Gratias
ult: sed
rere, et
evit: de-
ab ipso
præscr-
et si fut-
lacitum
potest
ota sim-
plet: qu-
ngrutum

Sane hujus cognitionis & executionis defectum solo, evenit eis quod crebrò causantur, scilicet se nullam in Religiosâ vitâ delectationem, nullam in Christi jugo suavitatem levitatemque experiri, nullas Spiritûs delicias gustare, nam quomodo miseri gustent, qui ad se meatus omnes Gratia delectantis quotidie obstruunt, fodunt autem sibi cisternas dissipatas, propriae Voluntatis & amoris proprii, quæ non valent continere aquas. Intelligent miseri, Gratiam Dei non contingere indignis, negligentibus, ingratis, sed quærentibus eam & esurientibus. Meatus quibus affluunt, ad animam Gratia, sunt Regulae, has observent, & illicò experientur quam suavitatis sit Dominus, & quam dulcis Misericordia eius & quam multæ delectationes in dexterâ ejus. Alioqui quidquid egerint, frustra erunt, omnia quidem disciplina, ut Jumenta & asini portabunt, sed nequaquam de divitiis delectationibusque Domini sui pascentur: verum semper erunt de grege illorum, quos describit Bernardus: (*pauperes & remissi, deficientes sub onere; Virga & calcaribus indigentes: quorum remissa letitia, pauperum animis tristitia est. quorum brevis & rara contentio, animalis cogitatio, tepida conversatio, obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, quorum oratio sine cordis intentione, lectio sine edificatione, quos vix gehennæ motus inhibet, pudor cobibet: vix frenat ratio, vix disciplina coarctet.*) Nunquam autem accedere & accenseri poterunt ad illos Filios & pullos Gratia, quos paulò ante descripsit in hunc modum. [*Viros impletos consolatione, super abundantes gaudio jucundo, semper hilares, ferventes Spiritu, nocte &*

meditantes in lege Domini, crebro suspicientes in cœ-
 lum, & puras manus in oratione levantes, sollicitos
 observatores Conscientiæ, & devotos sectatores bo-
 norum operum, quibus amabilis disciplina, dulce je-
 junium, Vigilia breves, labor manuum delectabilis,
 & universa denique Conversationis hujus (Spiritua-
 lis) austeritas, refrigerium videatur.] En fontes
 & fructus delectantis Gratia. En è contra dam-
 na absentis.

CAPUT IX.

Quibus præterea viis Delectatione Gratia po-
 tiamur & fruamur?

NON desunt aliæ Delectantem Gratiam ad ani-
 mum derivandi viæ. Cujusmodi sunt, 34.
 1. Generosæ ad magnos ausus resolutiones pro
 Deo sanctæ: maximè ad Victoriam sui, ad Glo-
 riam DEI, ad salutem proximi susceptæ. 2. Ab-
 jectio & ablegatio omnis à se delectamenti
 temporalis & Creati: tali enim animæ, ab o-
 mni creatâ suavitate nudatæ, Deus ipse Nutriti-
 us est, cum illam fame sui perire nolit. 3. Ac-
 cedit fervor spiritûs, continuaque tepiditatis ex-
 cussio, & fervoris renovatio, hanc enim sequi-
 tur charitas, Charitatem gratia, gratiam comita-
 tur delectatio. 4. Facit huc quoque aversio men-
 tis & avocatio ab omni quod contristat, etsi ipsa
 sit peccatorum recordatio atque pœnitudo: non
 semper enim peccata, non semper supplicia &
 pœnæ in animo habendæ: sauciant & cruentant,
 franguntque & dejiciunt ista animum, non lactant,
 non nutriunt, non augmentant Spiritum profe-
 ctumque. Exeundum est quandoque è sordi-
 bus, & ad Delicias Boni Dei adspirandum, pro-
 gredien-

C 3

Handwritten notes on the right edge of the page, including the number 34 and some illegible characters.

grediendumque post opera pœnitentiæ. 5. Je-
 vat hîc immodicas vitare curas, plura quàm com-
 modè possis, quàm vè obedientia vel charitas
 (quæ discreta est) poscit, agenda non aggredere
 ad quod sæpè nos rapit non Deus, sed æmulatione
 superbiam redolens, quia pares esse aliis, & lau-
 dari cum aliis, digitoque monstrari desideramus
 in nidulo suo quemque morari & mori convenit
 sub parvo & sub humili, attamen quia sub suo,
 securè tecto latent testudines. Nemo unquam
 quietus & pacatus multa simul egit; exiguæ sunt
 vires hominis, uni labori vix sunt satis, pertinet
 que ad superbiam, multa putare se posse. Augu-
 stinus in quadam Epistolâ ait: se etsi multa posset
 repetere, attamen unum hoc solum repetiturum.
 (*A Curis vanis abstinete; Veras curas suscipite.*)
 6. Ad id ad Delectationem Spiritûs pi-
 giter habendam prodesse plurimum, soli inni-
 solâ regi Divinâ Providentiâ, ejus solius prote-
 ctioni & auxilio & curæ fidere, ejusque rei que-
 tidie saltem unum experimentum in semetipso
 quærere & expendere. Hæc te consideratio, di-
 cissimis quoties voles (audacter dico) imple-
 lacrymis, hæc te, spe, fiduciâ, ferventi amore
 diligenti negligentia, & tui oblivione incuriaque
 solius autem Dei, & Voluntatis ejus attentione
 beabit. 7. Sed neque illud prætermittam adde-
 re, ad suavitatem Vitæ supernaturalis posside-
 dam, facere plurimum, non suavitatis delecta-
 tionisque causa Virtutem sectari & Deo servire
 sed puro Dei solius intuitu. Gratis nempe &
 ne ullo ad privatum bonum solatium vè respectu
 Nam quod dulcius à Deo præmium quam ipse
 Deus? nunquid ad præmium diligendus est
 ejus hoc ipsum est maximum præmium, quo

dilligi se à nobis velit & donet. quæ enim major miseria, quàm non amare Summum Bonum? & contra quæ major Voluptas quam summo bono per Amorem inhærere & perfrui? 8. Præter jam dicta, plurimum meo quidem iudicio ad delectationem mentis facit, quidquid egeris, proposueris, volueris; ita velle proponere, agere, ut tamen totus à Dei voluntate atque dispositione pendeas: paratus, cum Deo placuerit, omnia proposita, amata, inchoata, deserere, quin etiam tuismet manibus (si Deus velit) convellere, & in his omnibus immotæ imperturbatæque mentis pacem servare & tenere. Nescit mundus (& utinam Religiones sciant) vim Indifferentiæ. Magnum id, sed obscurum nomen in doctrina Spiritûs, & tamen vix est aliud certius ad pacem iter, itinere Indifferentiæ. Quanta putas est hæc Virtus quæ facit, ut motus non movearis, & de cælo ad inferos translatus, maneat tamen in loco tuo, hoc est in pace tua.

9. Attamen nihil scio quid efficacius Gratiam Voluptatesque ejus trahat in animum, quam grata humilitas, & humilis gratitudo. Si nimirum, divitias nostras non nostras, hoc est, non ex nobis esse sciverimus, & fateri non erubuerimus; sed totum quod bonum est in nobis, in Deum retulerimus. Si ingenuè sciverimus nos nihil esse ex nobis, ad nihil sufficere, merum esse nihilum, meram pauperiem, meram mendicitatem & indigentiam Dei ejusque Gratiarum; sufficientiam verò omnem ex Deo & à Deo, & in Deo, & Dei esse, propter quod nobis nihil, Deo autem omnis Gloria debeat. Nullâ manu fortiùs trahitur teneturvé gratia de cælo, quàm manu humilitatis.

112
 xi
 11500
 I
 J

Nullo finu uberiùs excipitur, & securiùs tenetur Gratia, quàm Humilitatis. Exalta ô Homo Deum & Gratiam Dei, abjice te, despera de te, contemne te, obliviscere tui, & habebis gratiam redundabis gratiâ, absorberis & demergeris in gratia. Quoties ergo in te sentis augmentum gratiæ: dejice te & exalta gratiam, quoties sentis detrimentum, dejice te, & puta, in causa esse, vel præteritam, vel præsentem, vel fortè futuram atque suborientem superbiam. Sagax enim est odoratus gratiæ, & subnascentem superbiam sentit in semine, sentit in radice, proinde ut primum gratiam fugere vel fugisse cognoveris, hostem gratiæ adeste conjice, quem ut dejicias, te quantum potes infra omnia creata abjice & dejice. Hæc de Viis Gratia Delectantis breviter, faxit Deus, ut mihi saltem, si proximis meis non mereor, efficaciter dixerim.

C A P U T X.

Quibus in rebus sit Delectatio Gratia.

36. **D**uplici in sensu quæstionem præsentem propono & expendo. Alter est, quænam sit nobis potentia, quâ Delectationem Gratia degustemus? Alter est, quibus ex rebus, seu quibus ex objectis atque Materis ea Delectatio percipiatur? Et quidem utraque hæc propositio non obscure est in præcedentibus intimata, nihilominus habebit suam utilitatem plenius illam, fundamentaliusque hoc loco persequi. Quod ergò ad primum quæstionis sensum attinet, quæ potest; an sentiri Delectatio Spiritualis gratia possit

possit per sensum, an per intellectum, an per
Voluntatem? Quâ in re, quod absque contro-
versia certum est, hoc dicam; quod quis revo-
care in dubium possit, ad Scholasticas subtilita-
tes amandabo disputandum. Certum hic pri-
mo est. Esse aliquas sensuum oblectationes:
quas & belluæ, quas & nos, qua parte sensu &
imaginatione pollemus, percipimus.

Hæ oblectationes, universæ, terrenæ, cor-
poreæ, materiales sunt. Extra has oblectatio-
nes, nullus sensus, nulla imaginandi vis egredi,
ad immaterialesque delicias sese elevare potest:
Nulla enim potentia ferri potest in objectum non
suum: ita oculus sonos, auris colores, gustus
odores, tactus sapes non percipit, dum extra
latitudinem sui objecti debiti hæc esse constat.
Quia ergo sensus nostri externi & interni, tota-
liter corporei & materiales sunt, omne id quod
apprehendere possunt, materiale necessariò esse
debet. Et quia Gratia divinæ Delectatio mate-
rialis non est, sed potius omnem etiam Naturæ
ordinem transcendit, ideò à nullâ sensuali po-
tentia apprehendi degustativè ullo modo potest.
Solet quidem quandoque ex delectationibus
animi, cum ille iis redundat, aliquid & in Corpus
& corporeos sensus delectationis quasi redun-
dare: illud tamen quidquid est totum materiale
est, ex eo tantum natum quod animus Delecta-
tionibus Divinis affluens, miro quodam suavissi-
moque modo componitur, & quietus conten-
tusque redditur. A quâ animi quiete, sua etiam
in Corpoream sensualemque partem portio de-
fluit, quoniam & ipsa tunc à bellis contra ani-
mum,

C 5

mum,

37.

112
xi
1150
I
J

mum, & ab animo contra se motis, vacat, exindeque conquiescit, & suaviter delectatur.

38.

Jam verò hæc Spiritus & Gratia delectamenta, ad intellectumne solum, an verò ad Voluntatem solam, an ad utrumque horum pertineant, in eove resideant: Scholis id & disputationibus determinandum relinquo. Mihi certum est, in solo Rationali animo, id est tam in intellectu quam in voluntate simul, delectationes has residere, sed non in quolibet Animo, verum in eo solo, qui, fide, Spe, Charitate, Gratiâque divinâ præditus, à malo & vitioso voluntatem averfam, ad rectum autem & honestum, & Divinum conversam habet. Animus enim qui turpitudinibus carnis & sensualibus bonis delectatur, qui à Charitate delapsus, à recto & honesto deflexit, non magis delicias Spiritûs percipit, quam lapis vitam, Arbor sensum, belluæ honestatem apprehendunt, quod disertè testatur Apostolus dum ait. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus.* quippe cum sint toto non solum, ut ajunt, cælo, sed tota etiam natura diversa. Solius ergo animi, & quidem rectè se in bono habentis proprium Delicias Gratia degustare, atque in iis conquiescere.

39.

Ex his quæ de primo quæsito breviter, attamen satis attulimus, magnâ parte elucescunt, quæ de 2do dicenda supersunt. Cum enim Spiritus delectatio in solo Rationali animo locum habeat, relinquitur etiam ex solis, ad rationalem animum pertinentibus bonis percipi posse. Multa enim sunt genera bonorum, sive Convenientium (Bonum namque idem est quod conveniens) quædam sunt bona per id solum, quia natura

con-

conveniunt, etsi à natura, convenire non cognoscuntur, eorumque ferè, natura cognitione destituta sit: ita bonum Aquæ, frigus, bonum Ignis, Calorem: bonum arboris, Incrementum vocamus, appetique hæc ab illis dicimus, non quidem appetitu aliquo actualiter exercito & elicitò, qui in his rebus ad hæc bona sua nullus est: attamen appetitu quodam innato, seu potius propensione quadam & instinctu pondereque naturali. Quædam sunt bona non tantum per id, quia naturæ conveniunt sua sponte; sed etiam per id præterea, quia naturæ convenire apprehenduntur, ideoque tanquam talia, appetuntur, quærentur, possidentur: appetuntur, inquam, non puro naturæ pondere, sed actuali exercitoque appetitionis actu. quæ bona ita appetita, si absunt, amari vel desiderari dicuntur. si adsunt, amari & possideri dicuntur, dum autem possidentur, quiescit in illis animus: & quia quiescit delectatur.

Hæc Appetitio elicita exercitaque boni convenientis duplex est, sicut & ipsum tale bonum est duplex. Quoddam enim bonum, seu, conveniens est Materiale & sensuale: quod scilicet sicut sensui convenit, ita etiam per sensum convenire sensui cognoscitur & per sensualem appetitum, concupiscitur, quæritur, possidetur. Talia bona talesque horum bonorum concupiscentiæ in solis sunt brutis: & hominibus etiam quâ parte ij sensuali portione constant, quoddam porrò bonum & conveniens est immateriale, insensibile, soli Rationali & immateriali portioni, potentiæque conforme: ideoque & ab hac solâ cognoscitur appetiturque: cognoscitur

40.

112
 ki
 1150
 I
 J

tur per Intellectum, appetitur per Voluntatem, quæ duæ sunt partes Rationalis animi. Hæc bona pura sunt & à Materia separata: ideoque materiali & sensibili hominum parti incognita & improporcionata. proinde in ea sensuales cognitiones & appetitiones non magis ferri possunt, quàm lapis potest sentire: è contra verò Rationales cogitationes & voluntatis appetitiones, non minus istis bonis possunt & occupari & delectari, quam sensum experimur, suis sensuibus bonis & affici & recreari.

41.

Inde verò colligere obiter possumus ad hominem triplicia bona pertinere, triplicemque bonorum sensum & fructum redundare: Unus quidem fructus est eorum bonorum quæ hominis naturæ, ipso etiam non cogitante, non sciente, conveniunt. Alter eorum, quæ sensu & percipiuntur, & appetuntur, & possidentur. Tertius denique eorum, quæ solâ ratione cognoscuntur, & solâ Voluntate rationali appetuntur. Colligere præterea possumus, duplicem esse in homine bonorum convenientium appetitum elicitem, unum bonorum merè sensualem, alium bonorum merè rationalium. Et utrumque hunc appetitum posse quandoque simul & semel ferri in bona sua, iisque perfrui & delectari, quandoque posse alterutris destitui, quandoque posse alterutris bonis delectari invito altero appetitu: quandoque vero non invito sed consentiente; quandoque posse unius appetitus bona & jucunda & convenientia esse, alteri appetitui mala, ingrata, & inconvenientia, adeò ut quæ ex unâ parte homini delectationem inferunt, ex alterâ tristitiam generare possint, &

tanto quidem majorem hinc tristitiam & mærorem, quanto aliunde majorem ingerunt voluptatem. Experientia id quotidie docet, quis enim non experitur cordate Christianus homo? hanc in se ex una eademque re voluptatis & Tristitiæ, ebullitionem. Objicitur quidpiam suave sensui, inardescit sensus, inhiat, ambit, possidet, fruitur, & tam diu quidem quamdiu res objecta sensui, durat & illudit, interim Voluntas, gnara, miserum turpe, illicitum esse, dare frena sensui, & sensualibus delectationibus, quia sensuales sunt, & quia delectant uti, repugnat delectationi, fugit, ad superna ipsum delectationis usum detorquet si potest, sin minus consensum fortiter sensui negat: interim tamen sensus sentit, & voluntas non consentit, hinc in sensu quia sentit delectatio est & tantò quidem major, quanto majus est sensus bonum illud, quod sentit; at in Voluntate molestia est, mæror & dolor est, & quidem tantò major quanto est in sensu delectatio importunior, & ad voluntatem in suas partes pertrahendam vehementior.

Hæc pugna quotidiana est, sed non in omnibus. Non est in iis, qui ad quemlibet sensum prurimum, Voluntate rationali illico præcipites inservitia sensuum ruunt. Non est & in iis (vel saltem rarò & parùm est in iis) qui vel longâ vel forti exercitatione, sensum rationi rebellare dedocuerunt, subesse autem, & panè nihil invito illo appetere, assuefecerunt, quo in genere qui perfecti sint, pauci admodum sunt: & tamen ad eam victoriam nullis non Christi exemplis doctrinisque nullis, non Christianæ professionis partibus & legibus vocamur. Sed hæc alias nunc ad propositum.

Ratio-

uuz
ci
uuz
I
J

42.

Rationalis partis bona (ab hac enim digressi fuimus) duplicia sunt. Alia naturalia, supernaturalia alia. Illa sunt, omnis honestas, veritas, virtus, scientia, dignitas, lumine naturæ nota hæc sunt omnia illa, quæ fide Christiana novimus, & Divinâ revelatione nobis appetenda proponuntur. Exinde in nobis & vita Rationalis & Cognitio rationalis, & appetitio nationalis duplex est: nempe una quæ naturæ lumen non egreditur, altera quæ ad supernaturalem lucem evecta, ad illius ductum omnia metitur & agit, & amat. Harum duarum vitarum unam alteri, naturalem supernaturali subordinari tam necesse est, quam nos salutem æternam supernaturalem consequi opus est. Ad finem enim & bonum supernaturale mediis opus est supernaturalibus, media salutis nostræ sunt omnia opera vitæ nostræ præsentis, sed ut media sint, proportionata, seu, supernaturalia esse debent. fient autem si supernaturali lumini subordinabuntur; subordinantur, quando ex intentione, & intuitu, ex motivo supernaturali & suscipiuntur & perficiuntur. Ex motivo supernaturali tunc fiunt, quando in finem fide supernaturali cognitum diriguntur. Hoc scire, Sapientiam est. Hoc agere, Caritas est. Hoc posse, Dei donum est, in hoc perseverare, Gratia Delectantis & Vincentis est. Hujus laboris exemplum Christus, præmium Deus est. Ut ergo tandem Capiti finis sit. Materia delectationis Gratia, tota vita hominis, seu omnes actiones hominis sunt, si nempe supernaturales vel naturæ suæ vel intentione agentis fiunt. Tales enim solæ actiones ex supernaturali Gratia fiunt, eæ solæ veram homini delectationem ingenerant, pacem animo,

consci-

conscientiæ serenitatem pariunt, reprimunt, extinguunt vitiosos habitus, pravos actus excludunt, vitæ æternæ merita congerunt. Christo Dei Filio similem reddunt, æternæ beatitudini Sanctorumque Societati hominem transcribunt.

CAPUT XI.

Quanam sint species hujus Sanctæ Delectationis.

Vnusquisque hominum talis est, quaiis est Voluntas ejus: bonus est si bonam habet Voluntatem, malus, si malam. Voluntatem tunc homo censetur habere bonam, quando habet in bonum directam & ordinatam; tum malam, quando in malum: non quod voluntas malum sub ratione mali appetere possit, sed quod appetere possit tanquam bonum, id quod revera malum, hoc est rationi difforme, ac proinde inhonestum & turpe est: quodocunq; ergo tale bonum appetit, revera malum falsò bonum appetere dicitur, & consequenter ipsa Voluntas reipsâ mala est, & malum hominem cujus voluntas est, facit. Voluntatem in aliquod, seu verum seu putativum bonum directam esse, est aliud nihil, quàm constituere sibi aliquam rem pro fine, in cujus consecutione & præsentia quiescat. Cum enim finis sit extremum, ultra quod non amplius tendatur, vel tendat res illa, cujus aliquid finis esse dicitur, ideò necesse est, ut ubi aliquid ad finem suum sibi que propositum pervenerit, hoc est, ubi finem consecutum fuerit, ultra jam non tendat, sed conquiescat, alioqui, post finem, finis dari deberet; atque ita & voluntas

43.

uuz
ci
uscat
I
J

luntatem, ubi finem affecuta fuerit, quiescere
 necesse erit. Ex quibus dictis sequitur imprimis
 Finem & Bonum idem esse, proinde sicut bonum
 aliud est verè, aliud putativè tale, ita & finis.
 Sicut verò voluntatem bonam vel malam reddit
 bonum vel malum, ita & finis bonus vel malus,
 eandem bonam malamque faciet. Rursus, sicut
 homo, vel voluntate bonâ vel malâ fit bonus
 vel malus; ita etiam à fine bono vel malo fiet
 bonus vel malus. & denique siquidem finis est
 id in quo voluntas quiescit, homo autem fine &
 voluntate fit bonus vel malus, ideo etiam per
 hoc in quo voluntas quiescit, homo fiet bonus
 aut malus, tandemque quies hominis facit ho-
 minem bonum vel malum. Quoniam verò (ut
 & supra sæpiùs dixi, & ratio ipsa ostendit) quies
 hominis est delectatio, & in quo homo ejusve
 voluntas quiescit, in eo etiam delectatur: tunc
 enim quiescimus quando optata re, seu optato
 bono & fine potimur; potitii enim, à labore &
 contentione & desiderio cessamus, rem posside-
 mus, ac tandem re optatâ sineque desiderato po-
 titi: à cura & labore vacui, delectamur, fruimur,
 gaudemus. Ideò hinc sequitur manifestè ho-
 minem & voluntatem ejus, delectatione sua
 reddi bonum aut malum. Quod si delectatione
 homo Voluntasque ipsius, bonitatem aut per-
 versitatem contrahit, quantò magis actiones ejus
 eandem inde participabunt? utique necesse erit
 illam actionem hominis bonam honestamque
 esse, quam in delectationem bonam & honestam
 tendere constiterit. Denique quandoquidem
 à Delectatione homo, voluntas, & actio
 ipsius bonitatem vel malitiam suam habeat, re-

G. 31
 G. 31
 op. 31:
 31:31:
 N. 31
 56

stat sanè, ut etiam à Magnitudine Delectationis, magnitudinem gradumque bonitatis vel malitiæ habeant. Itaque ille erit homo optimus, qui in bonum seu in delectationem honestam feretur ardentius: illa voluntas erit optima & rectissima, quæ honestæ delectationi inhiabit ardentissimè, seu quæ in bonorum honestorum & rationi congruorum possessionem adeptionem, executionem, effundet se fortissimè & suavissime. illa Actio hominis erit optima, quæ ad virtutem, ad honestatem ad Justitiam, & omnem rectitudinem feretur & decurret placidissimè, circa illamque se occupabit constantissimè, & gaudiosissimè: uno verbo, ille optimus erit, cui virtus magis sapiet, qui ad opera Virtutis quælibet, & cum gustu perget, & cum suavitate in iis morabitur. E contra illa actio pessima, illa voluntas perversissima, ille homo flagitiosissimus erit, qui in Virtutis actibus, gustum nullum, sensum nullum, molestiam summam, in flagitiorum verò actibus, in sensualibus, turpibus, bestialibus delectationibus, impotentiam vehementiamque experitur maximam. Unde tandem elucescit, consummationem, tam virtutis quam perversitatis humanæ, ex delectationis, quam homo vel in virtutum vel in flagitiorum usu habet, mensurâ, sumendam esse. Multum quis laboris & difficultatis sentit, in operibus virtutis, minus longè in operibus malis? multum hic malus, parum, aut nihil bonus est: sentit quis in se laborem, & fastidium virtutis decrescere: crescere autem fastidium peccati & laboris pro peccato? is sciat se proficere in bono, deficere in malo. Nihil aliquis experitur molestiæ in

V.P. Druz. Op. III.

D

usu

45.

uz
ci
usca
I
J

usu virtutum immo suavissimè & quasi con-
 naturaliter ad opera honestatis, & Christianæ ten-
 dere se sentit disciplina, è contra molestissimum
 illi est, à Deo avelli & à cælestibus, converti
 autem ad carnalia & sensualia & transitoria? per-
 fectionem hic se adeptum sciat, quantoque am-
 plius hanc experietur suavitatem ad bonum,
 acrimoniam in caducis, tanti se in ipsâ perfectio-
 ne proficere amplius non ambigat. Quocirca
 delectatio in bono, perfectio hominis est, pro-
 gressio in delectatione boni, in perfectione
 Christianâ progressio est. Consummatio in de-
 lectatione boni, consummatio perfectionis est.
 Sed hanc in cælo quidem nos assequi speremus.
 hic autem pro illius consecutione, quanto ma-
 joribus possumus passibus festinare conemur.
 & in hoc unum quotidie cum Paulo Spiritus
 mentis nostræ renovemur, in hoc unum cum
 Davide quotidie, nos iter ingredi nuncque in-
 cipere arbitremur. Siquidem hac in vitâ, nun-
 quam tantum progredi in virtute possumus, quin
 adhuc ulterius proficisci possimus: aliàs vita pro-
 fens non esset viâ, & progressui, & stadio affi-
 gnata, si posset per aliquem decurrendi certum
 finem, esse terminata.

Neque tamen desunt aliquæ veluti species &
 gradus hujus Sanctæ in bono Delectationis, quæ
 à Sapientibus harumque rerum peritis assignantur
 proponique, quanquam interdum spinosius
 solent. Et meo quidem Judicio, quædam sunt
 in quibus plus luminis est, quam suavitatis
 quædam sunt in quibus contra plus sua vitæ
 quam luminis: non quod non sint utraque Ra-
 tionales & suaves, sed quod per quasdam Delectationes
 magis

magi
 tum
 magi
 lustr
 res,
 nes,
 seu,
 nem
 prior
 mag
 vel a
 omni
 five
 dinis
 xiliu
 perti
 prop
 cont
 A
 supr
 eger
 feras
 fuer
 duca
 Spir
 prop
 que
 num
 ction
 ager
 cta;
 detr
 five
 mag

magis illuminando quam indulcendo, contentum facit Intellectum: per quasdam contra, magis dulcedine permulcet affectum, quam collustrat & erudit convincitue intellectum. Priorres, vulgò vocamus, mentis lumina Illustrationes, Veritates: posteriores vocamus Gustum, seu, Devotionis sensum, Sensibilem Devotionem. Et quamvis neutrae contemnendae sint: priores tamen ego, ni fallor, potiores judico, magisque utiles. Harum varii sunt vel gradus vel affectus. Primus est, sic amare Deum, ut omnia quae ad ipsum pertinent (sive sint virtus, sive arreptum vitae institutum, sive Regulæ Ordinis, sive quod aliud ad Spiritum spectans auxilium) ut nihil Deo, nihil rebus ad Deum pertinentibus ducentibusve præponas sed omnia propter Deum & propter divina, relinquenda & contemnenda putes.

Alter est sic amare Deum & omnia divina, supra recensita, ut omnia alia quaecunque licite egeris, in Deum & insupernaturalia lucra transferas, eaque quantumlibet Naturalia & modica fuerint, in ordinem tamen supernaturalem transducas, vitae aeternae meritoria facias, & omnino Spiritu divino, vocationis & professionis tuae proprio imbuas, uno verbo ut omnia quaecunque agis, propter Deum ut supernaturale bonum, & propter status tui supernaturalis perfectionem assequendam, juxta Dei voluntatem agere intendas & agas.

Tertius est, sic amare Deum & divina prædicta; ut quidlibet potius perpeti eligas (sive illud detrimentum famæ, sive corporis, sive fortunæ, sive sit jactura opinionis, ex Scientia, Virtute

uz
ci
usca
I
J

rebus, gestis, talentis) quam aliquid eorum que ad Deum tuumque statum & professionem pertinent deferas: supposito quod in eo articulo res sint, ut aut perpetiendum malum, aut delegendum bonum sit.

Quartus est, sic amare Deum, & divina jam dicta, ut datâ vel optione vel occasione gloriae & ignominiae, laudis & contemptûs, speciosi & abjecti muneris: evadendi vel subeundi infamiam ac pœnam: abjiciendi sui confundendique, vel occultandi & excusandi: in hoc potiùs, suaviùs, libentiùs incurras, quod Amori & æstimationi propriae inimicum est, quodque Christo conformiorem, & in oculis mundi contemptiorem facit, quam quod ad opposita deducit.

Quintus est sic amare Deum & Divina, ut quanquam licitè & commodè possis ab humilibus, à doloriferisque abstinere actionibus, soleas tamen & gaudeas, humilia sectari, abstinere à licitis solatiis, inferre sensui dolorem, fraudare genium solatiis, jejunia, vigilias, insomnia, verbera, vestium & lecti asperitatem subire, similiaque agere propter Deum, propter Christi & SS. Exemplum, propter expianda tua aliorumve peccata, propter impetranda tibi, aliis, Dei dona.

Sextus est, sic Deum & divina amare, ut non ad præmium, non ob supplicium temporale vel æternum, ab homine, vel à Deo recipiendum non ob oculos humanos judiciorum, sed mere gratis Deum ames. hoc solo contentus præmio quod possis Dignissimum Deum amare, Virtutemque propter Virtutem ipsam & Deum sectari.

Jam verò sensibilibus illarum Consolationum quaedam sunt quæ in solo se animo continent, ne

que ad gustum sui socium animi Corpus admittunt, sed soli animo Deum & honestatem amorosè propinant, & ad virtutem illum tanto fortius, quanto teneriùs, dulciusque alligant. quædam porro sunt, quæ se se ab animo etiam in corpus derivant. Ut enim à Corpore ad Animum, ita multo magis ab animo ad corpus redundare solatia & delectationes possunt. cuius rei & experientia testis est: & Divinitùs id posse fieri, quando ejus bonitati, servos suos, etiam exterioribus istis solatiis recreare, inque servitio suo fovere complacet, minime dubium: & quodammodo etiam socium animi in labore, societate præmii non fraudare, æquitati consonum videtur. Ex his duobus posterioris Delectationis Sanctæ gradibus: prior purissimus & defœcatis- simus est, alter suavitatis quodammodo plus habet ac roboris. Neuter tamen magnopere est à Deo desiderandus, nisi in quantum firmiorem in bono hominem reddit: nam sub hujusmodi desiderio, amor proprius & quædam sensualitatis Species latitare solet. præmiumque bonæ vitæ hac in vitâ recipitur, & non raro magna quædam de suis apud Deum meritis, opinio, præsumptioque in homine gignitur. Idcirco expedit talibus Dei delictis, & cum absunt, & cum adsunt, indignum sese judicare: animumque ad fortiter sine suavitate, gratis sine mercede, Deo serviendum assuefacere: idque inter præcipuas suavitates & præmia, quod in Gloriam Majestatis Divinæ vel tantillum conferre liceat. reputare.

CAPUT XII.

Causa scriptiois hujus de Gratia Delectante.

46. **H**Æc quæ de Gratiâ Delectante atque Vincen-
te scripsi: sat scio, ineptè & pro Dignitate
Materiæ indignè exiliterque scripsi, & non tantum
nulli alteri, sed neque ipsi mihi satisfeci: quod e-
tiam, cùm primùm ad scribendum accederem,
prævidi: Scripsi tamen, non spe fiduciaque vi-
rium mearum ductus, sed Delectantis & Vincen-
tis cognoscendæ Gratiæ cupidine allectus; exi-
stimans, futurum aliquando. ut si discurrendo &
indagando Delectationem Gratiæ cœlestis cognov-
issem, & experiendo eandem Deo dante degu-
starem: Et fateor fecissem consultiùs, si orando
& gemendo humiliter id à DEO fonte gratia-
rum emendicare contendissem: quàm inutili-
um & rem indignè explicantium, forteque mi-
hi vix satis cognitorum verborum scripturatio-
ne festinatâ, tempus perdidissem, attamen per-
suadebam mihi, etiam sic me gratiam invenire
posse, si aliquantulum, non pro unâ horâ, sed pro
longiori tempore, nec mihi soli, sed aliquibus
etiam aliis, pro Gratiâ laborassem. Feci, labo-
ravi modicum: & inveni nisi fallor, non quidem
omnem & plenam, attamen pro capacitate meâ
multam requiem, copiosam dulcedinem, non in-
utilem cognitionem. Ut nihil aliud, id affectu
mihi hæc scribendo videor, quod æstimare
Gratiam Dei, haud paulò plus deinceps didice-
rim, quod, quam parùm ego hæctenus in Christi-
anâ virtute profecissem cognoverim: quod, quæ
sint officii mei humani, Christiani, Religiosi par-
tes,

tes, utcunque melius quam ante sciveram, dispexerim: quod scopulos in vitæ viâ periculosos ac latentés, ante, non tantum nosse, sed vitare proposuerim, fortasse & cœperim. Hæc si cui modica sunt, ignoscat mihi viro videnti paupertatem meam, quod isthæc omnia divitias magnas reputem. contentusque his esse velim, & me liberalitati Divinæ ejusque Gratiæ obligatum esse gaudeam.


Ita est mi Dignissime DEUS, gaudeo me tibi debere quæcunque sum & habeo ad punctum omnia. nolo mentiri Deus meus; quia tibi non possum, & si forte mentior, retracto: gaudereque cupio, quod totus, quantus quantus sum, tuum munus, tuum donum, tua gratia sum. Gratias ago gratiæ tuæ, liberalitati tuæ: & peto ut sit, & nunc, & semper, Mater mea, Nutrix mea, Delectatio mea, lux mea, Motio mea, ego autem sim mendicus ejus, infans & lactens ejus, locus ejus, sedes ejus. Hoc ubi fiet, tunc ego Tibi Deo meo gratias & laudes, & benedictiones fundam, debebo, reddam, in omnem æternitatem & ultra.



G. D. I.
S. I. C.
op. r.
T. m. :
N. :
56

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

G. Dur
Vixi
dicitur esse
Tom. I
V. V
56



V. P.
C. DRUZBIC
TOM. I.

Th

2573

G. Dur
Sicki
oper: ascet.
Tom: I
N: V
56